

cidentis, seu quod præsupponat potentiam passivam. Usus  
 habet Logica (1) ratione terminorum, quatenus ostendit, qui  
 de se invicem prædicari queant, adeoque identitatem inter  
 se habeant, & qui sibi invicem, & quomodo opponantur. Usus  
 habet (2) ratione enunciationum: v. g. conclusio opponentis  
 thesi respondentis opposita esse debet, ne frustra disputatio  
 instituat, & disputando neque opinio seu probabilior sen-  
 tentia, neque veritas necessaria eruatur & obtineatur. Usus  
 habet (3) ratione argumentationum: subministrat enim Theo-  
 logiæ principia formalia, ut in forma rectè se habeat argu-  
 mentatio, alias enim neque ipsi rectè argumentando con-  
 cludere, neque adversarii fraudes detegere, & argumenta ve-  
 ritati *opposita* solvere possumus. Usus habet Logica, ut dis-  
 cernere queamus sententiam probabilem à necessaria.

§. 6. De usu Rhetoricæ non est, quod multa dicam, o-  
 stendit eum erudite B. Glassius in Rhetor. S. qui videatur.

§. 7. Aliæ disciplinæ Philosophicæ dici solent reales,  
 Metaphysica, Physica, Mathematica scientiæ, Ethica, Politi-  
 ca. Nulla harum est, quæ in Theol. non insignem habeat u-  
 sum. Quod Metaphysicam attinet, vix terminus in ea occur-  
 rit, cujus cognitio in Theologia non sit necessaria. Doctri-  
 na de Personis divinis, de operationibus divinis, & aliis plu-  
 ribus satis intelligi non potest sine cognitione Metaphysicæ,  
 ut §. 3. ostensum est. Agitur in Theologia de *tempore*, *loco*,  
 de cælo, de generatione a creatione distincta, de anima, e-  
 jusque facultatibus, quæ accurate tractari sine cognitione Phy-  
 sices non possunt. In Scripturæ explicatione Theologo oc-  
 currunt profectioes Patriarcharum Israelitarum in deserto,  
 Apostolorum &c. hæc dextre tractari nequeunt sine cognitio-  
 ne Geographiæ tanquam scientiæ Mathematicæ. Differen-  
 dum interdum est de cælo, æthere, stellis, quod sine Astrono-  
 miæ cognitione fieri non potest. De virtutibus homine Chri-  
 stia-